

# SERIVS EXHIBITA.

## Notitia Cœrulei Berolinensis nuper inventi.

**P**ictores, qui coloribus suis oleum admiscent, paucos illorum habent, quibus cœrulea exprimant: eosque tales, ut jure commodiores desiderent. Ex vulgaribus enim alias mixturae cum oleo non respuit quidem, sed non diu in opere durat; subviridis, subpallidus, ferrugineus, aut plane folidus sit: Alius constans quidem & satis pulcher, sed arenosus est, & hoc vitium, quo ad subtiliorem artificis laborem est incommodus, si vel anni spatium in eo terendo consumeretur, non tolli potest. Optimus omnium, quem vulgo Ultramarinum sive Azurinum vocant, qui ex lapide Lazuli conficitur, non modo pretio suo multos deterret; sed & aliorum colorum mixturam non libenter admittit; & hinc tantum in eminentiis pulchritudinem suam monstrare potest: ad umbras in utilis est. Hoc justum artificum desiderium cœruleus color, qui ante aliquot annos hic Berolini inventus est, & nunc, post varia variorum accuratisima examina, audacter in scenam prodit; si non explorare, certè lenire potest. Nihil enim harum incommodatum habet: In oleo splendorem suum potissimum ostendit. Ubi-que vero, in aqua, in oleo, & aliis liquoribus, quibus pingi potest, tam durabilis reperitur, quam qui maxime. Aqua illa fortis, ut à Chymicis appellatur, quæ omnia arrodit aut dissolvit, eum adeò non mutat, multo minus extinguit, ut potius lucidiorem reddat. Et ut quedam cœrulei coloris genera in encaustica pictura (Schmelz, Wentz / email,) adhiberi possunt, & igne, ut ita dicam, sicco non delentur: sic novus hic color igni humido (quod nomen aquæ illi fortis & omnia destruenti, meritò dari potest) fortius resistit, quem vix aliis ex omnibus colorum generibus preferre potest. Hinc multo minus leviores & communiiores pictorum explorationes timet, ut: succum ex malis citreis expressum &c. Non mutatur in loci, aut aeris sive tempestatis mutatione. Vixit in calce viva, ejusque album,

ut gemma aurum, distinguit. Sicut ex materia subtilissima concrevit, ita & in pulverem subtilissimum conteri potest. Et quod prima vice non satis comminutum est, secunda ac tertia perficiatur, ita tamen, ut singulis vicibus, siccus factus, aqua pura rursus irrigetur. Quem vero laborem ab iis tantum exigere solet, qui eo in minima illa pictura, quam miniaturam vocant, commodius usi volunt. Carteri pictores vel cultello, quibus colores in tabella miscent, facili negotio eum comminuere possunt. Propter hanc subtilitatem loca, quibus penicillo illinitur, mirifice tegit, & praet aliis coloribus extendi potest. Præterea non modo ignobilioribus sui generis coloribus superinduci, & extantiora illuminare; sed & rugas, sinus, & profundiora picturæ loca adumbrare potest. Hinc duplicitis generis est: Alterum obscurius & ad exprimendam umbram accommodatus; alterum lucidius, non cerus aut albo mixtum, sed statim in primo artis partu hoc habitu comparens. Ita ut obscurius hujus coloris genus ex lucidiori factum, & quasi contractum, sive, ut quidam loquuntur, concentratum sit. Pictores minorum gentium, qui hunc colorem communi miscendi consuetudine metuntur, lucidius genus ejus raro desiderant, obscurius modo querunt, & illi album admiscentes, lucem per gradus addunt. Quibus vero oculi eruditiores sunt, statim vident, colori, qui ex obscurio suo per admissionem albi ad clariorem gradum ascendit, non tantum luminis & venustatis inesse, ac illi, quem natura dilutiorem protulit. Carterum innocuus est, nihil hic arsenici est, nihil sanitati contrarium, sed potius medicina. Sine periculo ea, quæ ex Saccharo fiunt, hoc colore pingi, & comedи possunt. Tirones pictorum securius penicilla, quibus eum tabulae illinunt, per labia trahere possunt; quod aliis coloribus pingentes non sine vita periculo facerent. Pretium denique, quo parabilis est, vix decimam partem carissimi Ultramarini attigit. Et copia ejus, quæ Berolini, apud Regiæ Societatis Scientiarum Bibliopolam haberi potest, tanta est, quantam vel prodiga artificum manus ad opera sua exornanda desiderare potest.